

des Instruments unterschreiben, und darzu bezeichnen
sollen. Idem quoque extenditur in dictis tt. ad re-
liquas coecorum vltimas voluntates, vt codicillos etc.
Imo a DD. ad testamenta coecorum privilegiata, vt pa-
rentum inter liberos, militum, rusticorum, ad pias caus-
sas et tempore pestis condita. vid. STRYCK. *Caut. Test.*
c. IV. §. 17. 19. 20. 21. 22. BLASIVS MICHALORIVS
Tr. de coeco, surdo et muto, Cap. VII. IX. XI. XII.
BRUNNEMANN *ad L. 8. C. qui test. fac. poss.* Quamuis
vero fallunt, qui dispositionem hanc *cit. Leg. et R. I. d.*
a. 1512. ne quidem per statutum tolli posse tradunt,
quos vid. apud STRYCK. *de Cautel. Test. c. IV. §. 23.*
Attamen hoc certum est, quod si scriptura in testamento
coeci non adhibeatur, sed tale testamentum, neglecta
forma in d. LL. praescripta, perficiatur, illud subsistere
non possit, sed ipso iure nullum sit. Adeoque ad sui
essentiam et subsistentiam scripturam requirit. *conf.*
BLASIVS MICHALOR. *d. tr. Cap. VI. n. 6.*

XXI.

Si ergo datur testamentum nuncupatium, ad cuius
essentiam est scriptura, vt praecedenti §. ostendimus,
scriptum testamentum definiri non potest per id, quod
in scriptis fit, aut quod ad sui essentiam scripturam de-
siderat. Ab hoc dubio vt expediant sese DD. variis
vtuntur responsionibus. Alii plane negant, testamen-
tum coeci esse nuncupatium: Sed horum sententia tam
manifeste pugnat cum *L. hac consultissima 8. C. qui test.*
fac. poss. et R. I. d. a. 1512. vt responsionem vltimo-
rem vix mereatur. Expresse enim coeco iniungitur in
dd. textibus, vt per nuncupationem suam condat vlti-
mam voluntatem, vt nomina heredum fideicommissa-
riorum